Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Vitae Christi pars secunda - Cod. Aug. perg. 23

[Reichenau ?], [15. Jh.]

Capitulum LVI [eigentlich LV]

urn:nbn:de:bsz:31-41582

Visual Library

Ut utroque pede gemina videlicet carita-
te purgatus et accensus ad te purifica-
torem meum accedam securus. Purifica
me infirmum dierum et emunda ab omnibus
maculis peccatorum ut dimissis negligenciis
et peccatis meis in ultima die mortis confisus
absceda(m) qui meum calcaneum observabit.
Dirige domine pedes meos in via pacis
ut de manibus omnium inimicorum liberatus
benedicam te cum electis tuis omnibus
in secula seculorum amen. De turbatione
correptione proditoris et egressu eius

Cetera terciam autem dolens
et mestus in facultate(?). Cum
enim hoc dixisset ihesus
turbatus id est tristatus est
non carnaliter sed spiritu id est spiritualiter et ex
imperio racionis quia ipse spiritu suo et potestate
fecit in se istam passionis turbacionem et hec tur-
bacio in parte sensitiva consistens non erat con-
traria racioni sed magis conveniens et virtuo-
sum enim est contra vicia turbari. Spiritualis
turbacio ad pietatem et misericordiam spec-
tat sed carnalis furorem et iram excitat. Spi-
ritu igitur turbatur ihesus et misericordie sue
compaciendo discipulo qui eum tradidit et tra-
dendo periit sive ut nos doceat quid agere de-
beamus quando in magnum facinus aliquem here-
ticare videamus. Sic et sancti misericordie
et ex caritate turbantur cum urget eos tam-
quam zizania a tritico ante messem separare.
Moraliter ergo instruit prelatos non debere
quantumcumque etiam flagiciosos nisi cum magna
compassione et dolore a liminibus sancte
matris ecclesie separare. Unde aug. Turbetur
plane christianus non miseria sed misericor-
dia. Timeat ne pereant homines, conturbetur
cum perit aliquis christo. Concupiscat acquiri
homines christo letetur dum acquiruntur christo.
Timeat et sibi ne pereat christo. Contristetur
se peregrinari a christo. Concupiscat regnare
cum christo letetur cum sperat se regnaturum

cum christo. Et edentibus illis dixit amen
dico vobis quia unus ex vobis xii qui me-
cum estis quorum pedes lavi quibus
tanta promisi tradet me dominum. Me ingeniu(m)
me salvatorem unus ex vobis meo non
merito corpore non animo specie non vir-
tute maxima ingratitudo unde fuit trade(re)
suum commensalem primo dominum et nutritorem.
Unde et alius evangelista sic dicit. Ecce ma-
nus tradentis me mecum est in mensa. Hoc
idem posset hodie dominus dicere de multis sacer-
dotibus qui mensam domini indigne at-
tingere presumunt qui iterum quantum in se est
merito peccatorum filium dei crucifigendum
tradunt. Per hoc enim quod in mensa denunciavit
suum proditorem designavit quod multi pro-
ditores venirent ad suam mensam. Sicut   no
autem proprium est tradere christum regnantem in celis
peccatoribus membris quam ambulantem in
terris peccatoribus iudeis. Unde beda. Et
et hodie est et in sempiternum ve illi homini
qui ad mensam domini malignus acce-
dit qui insidiis mente conditus qui peccat(or)
ibi aliquo scelere pollutus misteriorum christi
secretis participare non metuit. Et ille e(st)
in exemplum iude filium hominis tradere
non quidem iudeis peccatoribus sed tamen
peccatoribus membris videlicet suis quod
illud inestimabile et inviolabile domini corpus
violare presumit. Ve magis huic illi de quo ihesus
qui altaribus sacrosanctis interest immo
sancto utpote ipso consecraturus ad ea
non dubitatur astantibus sibi ministris
celestibus quem cogitur ecce manus mani-
tradentis me mecum est in mensa. Hec beda.
Et ut dicit Orig. Tales sunt omnes in ecclesia
qui insidiantur fratribus suis cum quibus
ad eandem mensam corporis christi frequenter
fuerunt. Prodidit autem dominus de proditore
et sic eum quodammodo revelavit triplici de
causa. Primo ut ostenderet se deum qui
future contingencia previdebat. Secundo

ut ostenderet

ut ostenderet se spontanee pati quia preuenire
poterat mortem quam prescibat. Tertio ut
proditor peniteret qui se non latere audiebat
unde Jero. Dum de passione predicat et de
proditore predicat dans locum penitentie ut cum in-
tellexisset sciri cogitationes suas et occulta cor-
dis consilia peniteret eum facti sui et tamen
non designat eum specialiter
ne manifeste conuictus impudentior fiat
sed mittit tamen in numero ut conscius pec-
cati agat. Hec Jero. Et nondum quia a
mala perpetratione solet aliquis quattuor mo-
dis trahi quibus ex magnitudine mire sue
temptauit dominus proditorem discipulum a tanto
scelere perpetrando ad penitentiam reuocare scilicet
pudore cum dicit: Unus ex uobis tradet me et
manus tradentis me mecum est in mensa. Ti-
more per comminacionem supplicii cum dicit: Ve autem
homini illi per quem filius hominis tradetur ut qui
pudore non uincitur timore corrigatur. Bene-
ficii exhibicione cum illum ad mensam suam re-
cipit et eius pedes lauat. Affectus ostensione in
blanda allocutione cum dicit: Amice ad quid
uenisti. Ex exemplo Christi bonus prelatus sub-
ditis etiam malis debet exhibere beneficia ut
quantum in se est eos a sua reuocet uita mala.
Et Judas nullo horum tangitur ne hominem tra-
dat quem dei filium nouerat. Passione
ergo Jhesu Christi pie considerare uolenti occur-
rit primum perfidia proditoris qui tanto fuit
fraudis ueneno repletus ut magistrum et dominum
proderet tante cupiditatis flamma succensus ut
deum argento uenderet et preciosum Christi san-
guinem uilis mercedis precio compensaret
tante demum ingratitudinis ut eum qui ipsum
sibi consociat et ad culmen apostolici honoris
prouexerat traderet ad mortem. Tante du-
ricie ut nec familiaritate conuiuii nec humili-
tate obsequii nec suauitate colloquii nec mi-
rabilitate osculi a concepta malicia potuit re-
uocari. O mira benignitas Christi in discipulum
durum, domini in seruum nequissimum. Bol

licet inexplicabilis fuerit proditoris impi-
etas in immensum tamen eam exsuperat agni
dei dulcissima mansuetudo in exemplum datum
mortalibus ut iam non dicat ab animo ex super-
bia humana infirmitas: si inimicus meus
maledixisset michi sustinuissem utique quia ecce
homo unanimis qui dux uidebatur et no-
tus qui panes Christi edebat et in sacra illa cena
dulces capiebat cibos magnificauit super
eum supplantacionem et leuauit calcaneum suum contra
eum quia conabatur suppeditare eum. Sic
hodie multi prelati clerici et religiosi qui laute
uiuunt de patrimonio crucifixi leuant calca-
neum contra Christum in membris suis supplantan-
tes ea et affligentes calumpniis et exactionibus
iniustis. Illum autem Jhesus dicit eis: Unus ex uo-
bis me tradet. Hec uox in corda eorum ut gla-
dius acutus intrauit luctus quia intollerabilis
cibum illum sanctum tunc assumptum et tristitia
comedere cessauerunt et inspiciebant se ipsos
tunc qui nouo stupore perculsi hesitantes et du-
bitantes de quo diceret. Non solum propter mortem
magistri sui futuram sunt contristati sed quia quis-
libet timebat de se ne esset ille qui debebat
eum tradere. Erant ergo admirati quia quilibet
eorum preter Judam sentiebat se totaliter firmatum
in contrarium dicti ipsius Christi et similiter de suis
sociis sicut de se cogitabant. Verum tamen propter firmita-
tem uerborum Christi magis eius dicto quam suis con-
scientiis credebant et non hesitabant de euen-
tu sed de illo per quem hoc eueniret. Contristati
ergo ualde ceperunt singuli dicere unusquisque
pro se: Numquid ego sum domine, sed qui tradet
te. Et certe nouerant xi apostoli quod nichil tale con-
tra dominum cogitauerant sed plus magistro quam sibi credunt
et timentes fragilitatem suam tristes querunt
de preteritis culpis non habent conscientiam ut eis dicitur
in psalmo: delicta quis intelligit. Quilibet etiam
debet sibi timere de futuro quantumcumque sit sanctus.
Et respondens ait: Qui intingit mecum
manum in parapside seu catino hic me tradet.
Ecce humilitas Christi et paciencia qua proditorem

ad mensam et ad scutellam admittit Et b.
Iero. In hoc intra apparet domini pacientia
quia primum dixerat unus ex vobis me tradet
perseverat proditor in malo manifestius ar-
guit et tamen nomine proprio non designat unde
per hoc verbum xpi non potuerunt deciare
comprendere quis esset quia omnes xii de eodem
vase in catino cum domino edebant mi- nota
nores autem discipuli seorsum in alia mensa
comedebant Quasi dicat unus ex xii me
tradet Et ex hoc satis apparet quod alii discipuli
presentes erant Quod autem matheus parapsidem
marcus catinum dicit unus quadratum
vasis alterum quod esset fictile opus designat Est enim
parapsis vas quadratum habens pares ab-
sides id est latera et extremitates Catinus vero
vas fictile seu luteum ad immittendum liquorem
et ad plura alia aptum Aspice nunc boni disci-
pulos et compatere tam domino quam eis quia in ma-
gno dolore sunt positi Ille autem proditor ne
verba hec ad eum pertinere viderentur come-
dere non cessavit Ceteris enim contristatis ac
retrahentibus manus et intuentibus ci-
bos ori suo iudas temeritate et impudencia
qua proditurus erat ingerit manum cum
eo mittit in parapside ut audacia bonam consci-
enciam mentiretur Et debes scire quod ipsa men- nota
sa erat in terra et more antiquo in terra
sederunt ad cenam in cenaculo strato quasi iacen-
do recumbentes Erat autem ut traditur quadra
de pluribus tamen tabulis facta Et sicut nar-
ravit ille qui eam rome in ecclesia lateranensi
mensuravit in uno quadro est duorum brac-
hiorum et trium digitorum et in alio quadro
duorum brachiorum et palmi ita quod licet stricte
et arte tamen ut traditur tres discipuli in uno
quadro sedebant et dominus humiliter in aliquo an-
gulo et iohannes iuxta eum erat ita quod omnes
de uno vase comedere poterant Ubi adverte
documentum humilitatis et caritatis quia cum
pauperibus illis discipulis et iuda proditore in
eadem mensa eodem cibo et potu eodem cati-

no et calice magister et dominus participat
Non sic hodie multi religiosi faciunt qui
dissimiliter a fratribus cibaria non erubescunt
Et addit ihesus predicendo penam dampnationis
traditoris dicens Filius quidem hominis
vadit ad passionem voluntarie sicut scrip-
tum est de eo Oblatus est quia ipse voluit
Ve autem homini illi per quem [illegible]
filius hominis tradetur Ve id est eternaliter pe-
ribit quia ve in scriptura sacra eterna dap- nota
nationem notat Licet enim iudas post factum pe-
nituerit hoc tamen inutiliter fuit quia per
desperationem se suspendit unde Iero. Iudas au-
tem nec primo nec secundo correptus a proditione
retrahit pedem sed patientia domini nutrit
impudenciam suam et ideo pena predicitur
ut quem pudor non vicerat corrigant denun-
ciata supplicia Et ne minimam penam eius nota hoc
intelligeremus adiungit Bonum erat ei si na-
tus scilicet in utero non fuisset homo ille tot et
tantis criminibus fedus qui patrem occidit
matrem stupravit xpm tradidit se ipsum oc-
cidit quia sicut Iero. melius erat ei non es-
se quam ad tormenta esse multo enim melius est non
subsistere quam male subsistere Bonum enim acci- hoc nota
pitur hic pro minus malo Minus autem ma-
lum est non esse simpliciter quam esse dampnatum
quia et si non sit minus malum ratione
pene adiuncte que non privat totum esse cre-
atum tamen minus malum est ratione cul-
pe mortalis que inseparabiliter adheret dap-
natis et ipsa non solum privat quoddam esse
creatum sicut pena sed etiam privat bonum infini-
tum scilicet divinum propter quod esse miserum mi-
seria culpe mortalis eternaliter hoc est peius
quam sic non esse simpliciter Et quia ceteri disci-
puli cum tristes interrogaverant interrogat
eum et ipse quem consciencia remordebat
ne tacendo se et tamen suum proderet vi-
deretur Si enim ipse aliis de hoc querentibus
tacuisset suspectum se eis reddidisset Unde
dixit Numquid ego sum rabbi Non notat eum

dominum sicut alii quia iam a se excusserat iugum domini, alius sub eius iugo remanentibus. Et secundum Theophilum: Non dominum sed magistrum vocat quasi excusationem habeat, si dominum denegavit saltem magistrum prodidit. Et ait illi: Tu dixisti. Quasi diceret secundum Rabanum: Tu prodidisti te, non ego. Eadem ratione confutatus est proditor qua Pilatus iniquus iudicatur. Non dum coram discipulis eum exposuit nec delictum suum in hoc aliis publicavit sed conscientie unde se eius delictum scire significavit. Poterat enim per hoc verbum mentem unde sic movere quod alios latebat. Unde potest sic intelligi: Ego non dico sed tu dicis et verum dicis. Vel potest exponi de assertione cordis quasi diceret: Ore interrogas quasi nescius sed corde dicis et ratum habes te esse proditorem. Ecce miser vides dominum omnia scire nec tuam conscientiam ei latere. Confitere igitur et confitere. Sic admonemur peccantem primo cum mansuetudine arguamus; post si peccaverit gravius, ad ultimum gravissime. Habet enim formam nobis dominus relinquit qui primo dixit: Unus ex vobis me tradet. Secundo: qui intingit mecum manum in parapside hic me tradet. Tertio: Tu dixisti. Erat autem Johannes recumbens, id est reclinatus. Sermonibus istis territus et seipsum sustinere non valens eo quod terrore resolutus erat in sinu sive supra pectus Jesu quia inclinatus quasi ante pectus et prope os eius appodiavit se super dominum sicut innixus super dilectum suum et sic erat ydoneus positus ad interrogandum aliquid secrete ibi et audiendum. Cum ergo ista questio a singulis fieret innuit illi Petrus et dicit ei: Quis est de quo dicit, id est non verbis et sonando sed tantummodo nutu corporis et innuendo dixit ei ut secrete quereret a domino quis esset de quo diceret; vel primo innuit et deinde non contentus nutu dixit. Nota Petri reverentiam quod ipse quamvis licet maior et princeps apostolorum non interrogat dominum per se sed per minorem. Et tunc Johannes

submissa voce hoc quereret, dominus Jesus familiariter et tamquam singulariter dilecto submissa voce aperuit et proditorem suum tacite expressit ne alii audirent. Cui scilicet panem intinctum porrigeret. Johanni ergo ut secretario suo expressit aperte signo non tamen nomine nec omnibus, in hoc nos instruens non debere crimina proximorum publicare aliis. Unde secundum Crisostomum noluit Christus Judam proditorem publicare, ut nos doceret quod peccata occulta aliorum publicare non debemus quia sicut est mortale peccatum innocenti falsum crimen imponere sic verum crimen occultum aliis revelare. Et statim buccellam tamen intinctam non consecratam porrexit quo corpus suum non erat, qui verum panem de celo tradere insidiose studebat non illo sed alio intincto eucharistiam merebatur. Et ideo statutum est quod eucharistia intincta non detur fidelibus, et etiam pro heresi tollenda que dogmatizavit totum Christum sub utraque esse et neutra tamen forma. Dominus per buccellam intinctam suum exposuit traditorem. Fortassis per panis tinctionem illius significans fictionem, quia sicut panis intinctus habet colorem et saporem in superficie aliud quam interius, ita Judas simulabat se exterius esse discipulum et diligere magistrum cum tamen interius proditor eius esset et prodicionem tractaret. Johannes autem stupefactus et cordialiter contristatus versus dominum magis se inclinavit et super pectus eius recubuit. Petro autem dominus non dixit, quia ipse Johannes communis ad nutum eius quesisset, quia erat tam fervidus quod statim in proditorem insurrexisset et eum interfecisset. Et hoc noluit dominus ne dispensatio consilii divini impediretur. Quod autem Petrus Johannem interrogatorem committit habet etiam sacramentum misterii. Per Petrum enim designatur vita activa, per Johannem vero contemplativa. Petrus ergo per Johannem a Christo instruitur quia activa vita de divinis per contemplativam informatur. Unde habes hic argumentum et figuram quod contemplativus non intromittit se

nota · nota · nota · hoc nota · nota · nota

de actibus eorum sentiens vindictam etiam non expetit de ipsis dei offensis sed inde interius gemit et per orationem ad deum se convertit ut fortius per contemplationem afformans ei et adherens omnia sue dispositioni committat. Et hoc de tempore vacationis intellige cum copiam sponsi habet apud se. Nam aliquando ipse contemplativus ex zelo dei et caritatum vel ratione officii innumeris occurrit et similiter quando sponso ut convertitur audius et teneatur fortius ad tempus recedente ad sentiat solitas consolationes in activam se reducit ut vel sic sponso fructificet. Non enim debet contemplatorem esse desidiosum. Hinc etiam potes colligere quod contemplativus secreta domini non debet revelare nisi forte fine salutis urgeret zelus vel superne revelationis dictaret instinctus. Conspice ergo conspice domini benignitatem quomodo suum dilectum discipulum in sinu supra pectus suum recumbit in quo et magna humilitas eius claret. Quia *nota* tenerrime seniorem diligebant et ideo de pectore et sinu suo secreto sapientie divine sacrum divinitatis et specialiter evangelium quod scripsit hauriebat et bibens inebriatus est unde Augustinus: Quis nam ille est rogo te qui supra pectus eius recumbit et in sinu eius caput reclinat felix quicumque est. Certe ecce iam video Johannes est nomen eius. Johannes quid tibi dulcedinis quid gratie et suavitatis quid luminis et devotionis hauriebas ab illo fonte. Ibi certe omnes thesauri sapientie et scientie dei absconditi sunt. Ibi fons misericordie ibi domicilium pietatis ibi favus eterne suavitatis. Unde tibi o Johannes omnia ista. Numquid tu sublimior Petro, Andrea sanctior, aut certe omnibus apostolis gratiosior. Speciale hoc virginitatis privilegium quia virgo es electus a domino atque inter ceteros magis dilectus. Jam nunc oculi virgo accede propius et aliquam huius dulcedinis portionem vendicare non differas. Et si potiora non potes dimitte Johanni pectus ubi se tu vino

letitie in divinitatis cognitione inebriat tu curre ad humanitatis ubera lac eorumque quo nutriaris hec Augustinus. Conspice etiam alios discipulos multum mestos ad predictam vocem domini non comedentes seseque invicem aspicientes et super hys consilium capere nescientes. Cum ergo ihesus panem intinctum inde dedisset post buccellam per quam iudicium designatum intravit sathanas in eum non tunc primo et de novo cum iam xpm prius vendidisset sed ad amplius et quasi proprium ac sibi iam traditum plenius possidendum et sic fortius sibi ligandum et ad quecumque vellet nova agenda trahendum. In quem ante introierat quasi alienum ad temptandum et decipiendum intravit in eum ut totum eum occuparet et quem malignus tot criminibus obligaverat iam ipso impietatis opere possideret. Ingratus enim beneficiorum xpi factus est in potestate demonis magis quam ante. Sicut apostoli qui iam post resurrectionem acceperant spiritum sanctum insufflante domino postea iterum ipsum plenius acceperunt in die penthecostes. Ubi sciendum quod sathanam *nota* intrare in hominem potest dupliciter intelligi quia vel intrare in corpus hominis sicut patet in demoniacis et sic potest essentialiter intrare in hominem, vel intrare in mentem ita quod menti essentialiter illabatur et sic nullus potest intrare in hominem nisi solus deus. Anima enim rationalis non habet dimensiones quantitatis ut aliquid in ea esse dicatur quasi infra dimensiones eius contentum et sic nihil potest in ea esse nisi quod dat et esse quod est ibi per virtutem suam. Ubi autem est virtus dei ibi est et essentia dei, in deo enim idem est virtus et essentia et ideo deus essentialiter est in anima cuius solus est implere naturam sive substantiam ab eo creatam. Dicitur tamen sathan illabi menti humane per affectum et effectum malitie in quantum scilicet homo ab eo seductus sequitur eum ad perpetrandum malum quod suggerit et sic per fraudulentam deceptionem et malitiam habitare dicitur in eo quem im-

Capitulum lxi

pleret Et hoc modo intrauit in iudam ut ple-
nius possideret et ad perpetrandum malum
induceret in cuius cor prius miserat ut deci-
peret et ad prebendum assensum malo in-
duceret Consimiliter quoniam ostium est ita forte quod latro
nec violenter nec latenter potest intrare tunc quandoque
quis latrunculum per fenestram submittit qui
postea ostium latroni aperit et sic latro intrat
latro est dyabolus domus fortis voluntas la-
trunculus mala cogitatio vel delectatio Cum
ergo dyabolus potest intrare per aliquam
complacentiam hic aperit ostium consensus
et sic dyabolus intrat et spoliat animam bonis
suis Unde Gregorius Cauendum nobis est ne dya-
bolus intrudat in cor nostrum aliquam ignitorum telo-
rum suorum nam si introduxerit insidiatur
deinde ut et ipse intrat In hoc autem quod buccellam
superaddit amplius intrauit sathanas in iudam
pende grauium est comensalem alitumque post
esse ingratum et beneficij immemorem Deinde
ponitur proditoris permissio non enim poterat
aliquid facere nisi ipso permittente Proditori enim
dicit Quod facis scilicet voluntate facere id est facies citius Et bene
dicit quod facis quia voluntatis tamen pro
facto reputatur festinat dominus in bonum salutis
fidelium quod iudas operatur scilicet non sibi Nulli
quippe bonum ut iudas facit sed eis nichil eis pro-
ficit quia bonum facere non intendunt Non
tamen dominus impellit iudam ad proditionis culpam
sed ostendit se sitire salutem nostram Unde non dicit
hoc precipiendo facimus vel consulendo quia pre-
ceptum diuinum vel consilium non potest esse de
faciendo malum sed tamen predicendo et permittendo
dans in se potestatem quia vidit eius animum pessimo
desiderio implendi quod ceperat accelerantum
non posse quiescere si implere non poterit nisi
ipse dominus permitteret Dicit etiam hoc dominus tunc
proditoris exprobrando ut ostenderet quod diuina
ipse beneficia conferret ille mortem tractaret
Dicit insuper hoc ad opus nostre redemptionis
anhelando non tam in penitentiam perfidi se-
quendo quam ad salutem fidelium festinando Cum
ergo iudas buccellam de manu domini accepisset et comedisset exiuit continuo ad querendi
proditorem quem christum caperet In quo significatur
quod sacerdos sumens corpus christi indigne magis
ipsis elongatur a deo Quia enim bono male
usus est hec sumptio peccatum auxit ut ingratus
beneficiis domini aperte ab eo recederet Erat
autem nox Quod expressit euangelista ad osten-
dendum oportunitatem temporis ad peragendum
proditionem et ad denotandum in iuda mentis te-
nebrositatem Unde congruit hoc bene sacra-
mento erat enim qui exiuit filius noctis faciens
opera tenebrarum ibat quasi in noctem seu tene-
bras et mortem Quia ergo iudas ex bonorum
societate non profecit ob hoc maiori pena di-
gnus fuit Unde Crisostomus Sicut boni et perfecti
duplici sunt digni honore quia et benigni sunt
facti et nichil a malis nocumenti susceperunt
sic et mali duplici digni sunt pena et quia
mali facti sunt cum possint esse boni quod
ostendunt qui facti sunt boni et quia nichil
a bonis lucrati sunt Cum ergo exisset iudas ad
perpetrandum christi mortem Dixit ihesus Nunc clari-
ficatus est filius hominis id est electo tenebro-
so remanserunt soli mundi cum suo mundi-
tore Nunc inquit quia filius noctis et tenebra-
rum recessit a discipulis meis nunc filius ho-
minis clarificatus est in eis Nunc nichil caligi-
nis et tenebrarum sentit in ipsis Unde Augustinus Hoc
est erat mansuetudinis tue domine ihesu quod
perfidum illum in cetu sanctorum palam detegere
et confundere noluisti sed leniter admonitum
accelerare iussisti quod parabat In omnibus
his non est auersus furor eius malignus
nec sic egressus foras satagebat circa suum
maleficium Nunc clarificata est familia tua
christe in modum societatis angelice hec Augustinus
Possunt etiam hic verba significantes tamquam ille
qui significatur accipi Nunc inquit clarificatus
est filius hominis in se in causa non in effectu
quia modo inchoata est traditio passionis
cuius merito ex congruo datur ei claritas re-
surrectionis et ascensionis Similiter in corpore
mistico est clarificatus quia inde exclusus ma-

locum a bonis signat segregatos et deus
clarificatus est in eo quia scilicet non quesivit nisi
gloriam patris. Hoc ergo facto separationis iude
a societate christi et apostolorum prefigurata fuit
reproborum separatio tempore iudicii consortio
christi et electorum qua tunc apparebit gloria
magna christi membra que adherebunt capi-
ti et palee amovebuntur contemnande tem-
pore incorrigibili. unde aug. Exeunte iuda
omnes mundi cum suo mundatore manserunt.
Tale aliquid erit cum zizaniis a tritico sepa-
ratis iusti sicut sol fulgebunt in regno pa-
tris sui. Hoc futurum previdens dominus discedente
iuda tamquam zizaniis separatis remanentibus
tamquam tritico apostolis sanctis nunc inquit clarifi-
catus est filius hominis. Tamquam diceret Ecce in
illa mea clarificatione quid erit ubi malo-
rum nullus erit ubi bonorum nullus peribit
hucusque aug. Oratio

Domine ihesu christe pastor bone qui
discipulum tuum a suis erroribus
ad primam multis modis revocare voluisti
revoca me ab iniquis et erroribus universis
meis. Da michi salvator meus potestatem
et fortitudinem vincendi dyabolum continue
vigilantem et contra me dimicantem ne
me fraude sua nequissima trahat ad tene-
brarum foveam sed tuo adiutorio suffultus
perveniam ad claritatis gloriam ubi iusti in
modum societatis angelice clarificati ful-
gebunt sicut sol in regno patris sui amen.

De institutione sacramenti lxii capitulum

Circa quartum vero medi-
tando obstupesce illam
carissimam dignationem
et dignantissimam cari-
tatem qua nobis tra-
didit et reliquit semetipsum scilicet sacratissimum
corpus et sanguinem suum vere cibum
et potum ut quod erat futurum in pro[illegible]
sacrificium deo placens et redemptionis nostre
inpreciabile precium esset viaticum nostri
et sustentamentum quia hoc sacramentum
quod per excellentiam dicitur eucharistia idest
bona gratia cotidie reficit et renovat ferve-
tia corda fidelium et devota. Volens ergo do-
minus hic finem dare legalibus sacrificiis
et novum incipere testamentum seipsum novum
facit sacrificium et post cenam legalem mox
spiritualem cenam christianorum parat ut de
lege ad evangelium de veteri et transitorio
testamento ad novum et eternum testamentum
de figura ad veritatem de carnalibus ad
spiritualia transeat. Unde Beda. Finitis ve-
teris pasche solempniis que in commemorationem
antique de egypto liberationis agebantur transit
ad novum quod in sue redemptionis memoriam
ecclesiam frequentare desiderat pro carne et sangui-
ne agni sue carnis et sanguinis sacramentum
in panis et vini figura substituens sacerdos
in eternum factus secundum ordinem melchisedech.
Et cenantibus illis id est cenam agni typici
perficientibus et consummantibus vel post
esum agni typici adhuc in cena residentibus
antequam surgerent de cena accepit ihesus panem
azimum non fermentatum et oculis ad pa-
trem elevatis gratias agens pro veteribus
terminatis et novis inchoandis benedixit di-
cendo illud quod sequitur scilicet hoc est corpus
meum ac fregit scilicet post consecrationem dedit-
que discipulis suis dicens scilicet prius quam frangeret
vel sicut qui frangebat accipite scilicet ex hoc omnes
hoc est corpus meum quod pro vobis tradetur.
Ecclesia autem addidit enim et ideo semper est dicendum(?).
Et similiter accipiens calicem non veterem
ut prius sed novum et verum gratias agens be-
nedixit et dedit illis dicens accipite et bibi-
te ex eo omnes hic est sanguis meus qui pro vobis
effundetur. Quibus verbis hoc sacramentum
instituit et tacite permissum destituit. Unde
creditur cum dominus dixit hoc est corpus meum
hic est sanguis meus mutasse panem et vinum
in carnem et sanguinem et eandem
vim contulisse illis verbis in posterum et
ideo cum proferuntur in canone ex virtute
eorum fit transsubstantiatio quia verba con